



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ioannis|| Climaci Ab-||batis Montis|| Synai,|| Scala Paradisi

Johannes <Climacus>

Coloniae, 1583

VD16 J 520

Relatio de quodam lapidario. qui prudenti consilio vitam in mari seruauit.
Capvt CCIII.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55433)

ro sumens partem suam, dedit eam 3 pauperibus. nihil sibi omnino reseruans. Fecit autem sibi breuem cellulam, vt solitarius degeret: moxq; cum consumasset cellam, infirmatus est, atq; ad finem peruenit. Aderat autem illi frater eius, cui dixit: Vade frater, fac domui tuae consolationem. Aderat quippe celebritas sanctorum 4 Apostolorum. Dixit ei frater eius: Quomodo dimittam te, & abibo? At illi: Vade, & cum venerit hora mea, ego te vocabo. Cum ergo venisset hora, surrexit ad fenestram, & pulsauit. Intendit autem in eum frater eius. Et ille ipsi annuit dicens: Veni. Statim vero vt venit frater eius, tradidit spiritum Domino. Omnesq; mirati sunt, & glorificauerunt Deum dicentes: Eximia charitate, qua dilexit Christum, dignum inuenit finem.

- 1 Si erat virgo, non est impossibile virginitate seruare.
- 2 Fides quod multi ex sanctis vino non sunt vsi.
- 3 Ecce veram paupertatem Euangelicam, omnia distribuere pauperibus, & nudum sequi Christum.
- 4 Etiam antiquitus celebrabatur Sanctorum Apostolorum solennitas, sicut & modo fit.

Relatio de quodam lapidario, qui prudenti consilio vitam in mari seruauit.

C A P V T C C I I I.

Narrauit quidam patrum, quod aliquando lapidarius quidam habens lapides pretiosissimos, & gemmas, & margaritas, nauem conscendit cum filiis suis, peregre ire cupiens, & negociari. Contigit autem illum ex dispositione Dei puerum quendam, qui erat in nauis diligere, qui illi quoq; in nauis ministrabat, & ipse etiam ab eo reficiebatur comedens ex his, quae ille comedeat. Die vero quadam audiuit nauis puer submurmurantes inter se, & statuentes illi

in mare proijcere pretiosorū lapidum causa. Venit autem puer ille mœrens ad virum prædictū, vt ex cōsuetudine sua ipsi ministraret. Qui ait illi: Cur hodie ita mœstus es, fili? Ille verò dissimulabat dolorem, & tacebat. Rursum interrogauit eum dicens: Dic mihi veraciter, quid habes? Tūc ille erumpens in fletum ait illi: Sic & sic consiliū fecerunt nauæ de te. Dixit autem ei: Nosti hoc diligenter? Ait: Vtiq; , sic de te apud se ipsos statuerunt. Tunc aduocans filios suos dixit eis: Quodcumq; dixerō vobis, impigrè, & absq; vlla disceptatione perficite. Tunc explicans sindonem cepit eis dicere: Afferte capsulas. Quas cū tulissent, aperiens eas cœpit educere lapides. Et cū omnia explicuisset, & in omnium conspectum posuisset, sic dicere cœpit: Hæc vita est: Propter ista periclitor? & cum mari pugno? & post modicum morior? nihilq; mecum ex isto seculo fero? Dixit autē filijs suis proijcite in mare ista omnia. Mox itaq; vt locutus est, tulerunt ea, & in mare proiecerunt. Porrò nauæ obstupuerunt, consiliū suū dissipatum esse cognoscentes.

Quomodo mulier religiosa, & timens Deum monachum à turpi desiderio compescuerit.

CAPVT. CCIII.

Dicebat aliquis patrum: Frater quidam à serpente morsus est, ingressusq; est ciuitatem, vt curaretur. Suscepit autem illum religiosa quædā mulier, & timens Dominum, & curabat eum. Cū verò modicum cœpisset à dolorib; deseri, cœpit illi diabolus immittere turpes cogitationes in eam, volebatq; tangere ipsius manum. Quæ dixit ei: Non ita, pater. Christum time. Recole tristitiam, & pœnitentię dolorem, quem in cella
tua